

www.e-rara.ch

Themata medica miscellanea

Webel, Martin

Basileae, anno 1610

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-17838>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D. A.
THEMATA MEDICA
MISCELLANEA:

2^{AE}

Ex Auctoritate & jussu Amplif-
simæ Facultatis Medicæ,
in illustri ac pervetusta
Basilienſium Aca-
demia

*Pro gradu DOCTORATUS, ejus-
demq; Privilegiis conſe-
quendis*

publicè & amicè diſputanda
proponit

MARTINVS WEBELIVS
Crucenaco-Palatinus.

*Ad diem x. Martij, horâ & loco
ſolitis.*

~~~~~

B A S I L E Æ  
Typis JOAN. JACOBI GENATHI.  
Anno MDCX.



Catalog

*VIRIS*  
*Eruditione, Virtute & vario re-*  
*rum usu Præstantis-*  
*simis:*

D. CHRISTIANO GERVINO,  
Claustri Offenbacensis Cura-  
tori fidelissimo:

D. DANIELI RÜCKWEILERO,  
Curiaë Westhofianæ Assessori  
dignissimo:

D. IOANNI SIMONI, Civitatis  
Kirnensis Consuli meri-  
tissimo:

Cognatis, Affinibus & a-  
micis suis

*Themata hæc inaugu-*  
*ralia*

debitæ benevolentiaë ergo

D. D. O.

A. & Resp.





## P R Æ F A T I O .



U<sup>m</sup> fit attendendum ubivis, non quis, sed quid dixerit: cumque Veritas unica sit & simplex, nec magis aut clarius quàm ex mutua ac frequenti collatione elucescat: placuit mihi subscriptas hasce positiones & themata controversa in medium proponere, amicè & placidè de ijs collaturus. Interim tamen animus non est rigidè hæc omnia defendere, seu meliora admonitus haud cedere: absit; quin potius hoc persuasum sibi habeat amicus Lector, me semper, qui non immemor sum istius dicti, *Errare humanum est*, palmam etiam ultrò oblaturum meliora ac magis vera docenti. Fretus igitur libertate dubitandi, proponendi & disputandi, sequentia hæc pro viribus ingenij defendenda suscipiam.

## T H E M A I.

*Si quid Medicinam reddit difficilem, utiq; facit id variorum Scriptorum multitudo & dissensio, eorundemq; difficilis conciliatio: quin imò vocum & terminorum Medicina abusus multiplex.*

### I I.

*Temperies dici potest instrumentum actionis absolutè ab anima fluentis: at efficiens causa & continens actionis sanæ quæ sana, seu actionis benè agendi: & hæc, si amittatur, potest restitui: prior verò non ita; E. G. qui suffusione laborat, is non amisit facultatem videndi ab anima influentē, seu actum primum, à quo privato non amplius das*

tur regressus: sed amittit facultatem ab organo orientem, nimirum à proba temperie & confirmatione oculi: id est, actum secundum, à quo amisso sæpius regressus conspicitur.

### III.

Si spiritus animalis, uti creditur, generatur aut preparatur ad formam recipiendam in plexu mirabili, contingit id, non quidem per se, sed ex accidenti. Generari verò in eo quòd non possit, inde patet; quia arteriæ secundum cor sunt officina spirituum vitalium; cerebrum verò animalium tantum. Deinde quòd nec prepararetur in eo, probatur; quia præparatio ad formam aliquam recipiendam fit ab introducente eam per inchoationem eius. Siquidem spiritus animalis debet acquirere qualitatem seu formam temperatorem, crassiorem, & sic quasi sedatiorem ipso vitali. At eam non inducent arteriæ, quæ attenuant, & fervidiorem magis eam reddunt. Per accidens ergò preparatur in iis, quatenus scilicet subtiliatur & à fuliginibus repurgatur magis, ita, quamvis postea per cerebri coctionem & attenuationem incrassescat quodammodo, ut nihilominus tamen tenuior sit, splendidior & purior ipso vitali in arteriis aliàs contento.

### IV.

Tempora alia sunt morbi, alia coctionis materia morbosifica: & hæc tria tantum habet; principium, augmentum & statum: non verò declinationem, quoniam id, quod concoctum est, non amplius recrudesceat: nisi velis appellare declinationem, morbi per crisi solutionem, aut materiae quantitatis diminutionem. Hinc quoque intellectu facile est illud; In statu omnia sunt vehementissima, & in statu omnia sunt mitissima: si prius scilicet intelligas de statu morbi: postea verò de statu coctionis materiae morbosificæ.

### V.

Num verò omnis morbus quatuor habeat tempora unius  
veræ



versalia à nonnullis dubitatur : mihi verò hac in re quid sentiendum videtur paucis dicam. Morbi salutares & qui per crìsim solvuntur, quatuor habent illa tempora: cùm crìsis non fiat nisi in declinatione : at declinationem morbi adesse, nisi præcesserit principium, augmentum & status, impossibile est. Quos verò mors comitatur, declinationem non habent; at tria reliqua, & quidem statum. Dum enim moriebatur homo, ad statum & vigorem suum morbus pervenerat, seu ad eiusmodi culmen, quod agro maximè erat lethale : non tamen ad hoc citrà principium & augmentum. Sed dices forsàn; si crìsis contingat in incremento morbi, sequetur declinatio, omisso statu, & per consequens tria non habebit tempora. Resp. Tria non habebit tempora absolutè considerata, vel quæ debet aut potest habere morbus : at habuit statum etiam respectu subjecti, vel corporis in quo est, quia ei tum status fuit, quod alteri augmentum aliàs fuisset.

#### VI.

Obtinuit quidem usus nominare continui solutionem morbum tam simili quàm dissimili seu mala conformationi communem, & benè : at si quis dicat, continui solutionem pertinere tantum ad morbum organicum, non adeò multum aberrasse eum existimavero. Nam in vulnere, si pars esset laesa, ut similis, tum non fieret adglutinatio, cicatrix, &c: quæ actiones similes sunt & naturales: quin imò luxuriat interdum magis natura in restituenda carne, quàm usus & ipsa conformatio præscribit alioquin & postulat.

#### VII.

De Epilepsie causa à variis variè disputatur. Cum iis tamen facere non possum, qui planè negant oriri posse ab humore crasso, vel etiam tenui. Cùm enim paroxysmus epilepticus nihil aliud sit quàm Irreismus seu error exte-

nus, quid impedit, quo minus quoque fiat ab ipsa pituita sua quantitate irritante? siquidem & bilis & urina ad excretionem stimulant receptacula sua non qualitatibus suis solum (quippe corroderent tandem) sed etiam quatenus quantitate & copia abundant. Nec impedit id obstructio, quae praeferendi solet: quia humor hic non causat quae obstruens, sed quae irritans, titillans ac vellicans. Vel dato, fieri aliqualem obstructionem, non tamen sequitur, ergo non epilepsia: ratio est; quia humor hic non quiescit, qualem tamen quietem requirit ipsa obstructio; sed commovetur à concussione cerebri, & potest obstructio illa appellari concomitans accidens. Vt enim pituita formaliter agat, id est, irriter, necesse est, ut ventriculos subeat, & sic quasi obstruat eos; unde dein irritatio, quam statim excipit paroxysmus epilepticus.

#### II X.

Cerebri substantiam aut ventriculos ejusdem epilepsiae subjectum esse, communis est opinio. Sed cum varia sint spacia ac partes in cerebro: cumque intensissimi etiam dolores in eo fiant, item puris generatio, vulnera ad meninges & ulterius etiam penetrantia, & tandem sternutatio & vertigo, nec tamen sequatur epilepsia: existimo disputandi causa proprium & proximum eius subjectum esse; tenuissimam illam membranam ventriculos cerebri secundum latera circumcingentem; quae ob sensus acumen vellicata à materia adherente & affixa quasi eiusmodi symptoma adducit. Et opinionem hanc veritati consentaneam esse posse, probatur; quia irretissimus ille non potest referri ad substantiam cerebri medullarem, quae insensibilis est: neque ad meninges ambientes, quae maximè etiam inflammata & vulnerata eam non inducunt: neque etiam ad venas vel arterias, quae similiter obtusi sunt sensus; quin imò materia in iis contenta tam citò resolvi non posset, neque eo modo affecta actio-  
nes



nes cerebri in tantum laderent. Restant ergò nervi : sed quia dixi à pituita quoq; epilepsiam oriri , fiet potius paralysis aut convulsio: vel necesse est contineri materiam causantem circa principium nervorum , quod est cerebri & cerebelli prolongatio, quod tamen verisimile non videtur. Sed liberum cuivis esto iudicium.

#### IX.

Consistit propriè essentia Incubi in imaginatione depravata, qua absente nunquam nuncupabitur incubus, etiam si adsit repletio aliqua vel obstructio circa viscera. Nisi enim ponderis sensus vel affectio illa à phantasia percipiatur, incubus non erit. Vel, si essentia eius non est imaginatio depravata: cur in apoplecticis & orthopnoicis non depravatur, aut incubus fit? nam vix dum expergefacti sunt à somno, & vident falsam imaginationem, cessat incubus; cuius causa alia nulla dari potest, quàm imaginatio nis depravata & falsa deprehensio.

#### X.

Impossibile videtur, convulsionem crurium, qua medicamentum purgans aliquando sequitur, oriri immediatè ab inanitione seu siccitate nervorum: quia scilicet nativa eorum humiditas tam citò exugri non potest: aut si fiat; nequit tamen aquè citò rursus restitui atq; cessat ipsa convulsio.

#### XI.

Quòd pleuritici aphoni quandoq; sunt, non evenit ex affectione nervorum vocalium, sed ex defectu materiae vocis: quia propter inflammationis magnitudinem àër non potest attrahi ad vocem necessarius: aut satis sufficièter ad rimulam quoq; propelli. Consimiliter vomitu molestantur nephritici, non propter cruditates in ventriculo, aut consensum intestini coli: sed propter consensum nervi sexti paris, à quo ventriculus irritatur.



## XII.

*Medicamentum per augmentum ponderis non trans-  
scendit gradum suæ complexionis : hoc est ; dosis aucta non  
augetur in qualitate , per intensionem scilicet , sed in quan-  
titate seu mole , id est , intensivè . At dices , à 3 4. rhabar.  
fit superpurgatio , non verò à tribus : ergò ob qualitatem  
auctam id accidit. Resp. Purgatio fit per irretissimum : à 4. er-  
gò 3. plures partes irritantur , quàm à tribus : & id quidem  
non qualitate aucta , sed potius quantitate . Nam ad plures  
res partes diffundi possunt : seu ob quantitatem major fit  
diffusio ad plura loca , manente tamen qualitate in eodem  
gradu . Sic de 3j. rhabar. aquè dico , quòd sit in tertio gradu  
calida , atq; de uncia una tota . Sic mensura aquæ aquè est  
frigida in 4. atq; amphora : & plures tamen partes refrige-  
rare potest amphora , quàm mensura : non quidem id  
ob qualitatem auctam , quæ eadem in hac atq;  
in mensura , sed ob quantis-  
tatem.*

## F I N I S.

